



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XXXV. Markgraf Ludwig verkauft der Stadt Soldin das Dorf Werbelitz, am
12. Mai 1350.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

ecclesie Soldinenſi incumbencium, ob honorem et laudem omnipotentis Dei, glorioſe virginis Marie matris ejuſ, ex maturo noſtri conſilii conſilio damus et assignamus per preſentes juſ patronatus opidi Schöwenflith et ville Mantel immo ipſas eccleſias cum univerſis eorum pertinenciis, quibuſcunq̄ cenſeantur nominibus, ipſis eccleſiis de jure vel conſuetudine rite pertinentibus, Ita ſane quod preſatas eccleſias per ſe vel per alios potuerit officiare, prout eidem capitulo Soldinenſi videbitur expedire. Renunciamus quoque pro nobis, heredibus et ſucceſſoribus noſtris omni juri, quod nobis et ſucceſſoribus vel heredibus noſtris ex nunc in dictis eccleſiis competit aut in eiſdem in futuris poſſit competere quoviſmodo. In cujus etc. Teſtes Hufener, Bombrecht, Nimirus de Hele, Hager et Wolkow de Morin. Actum Frankenſurd, Anno MCCCL, feria II ante palmarum. Datum vero Soldin, dominica ante Valburgis.

Aus Diekmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geſ. Staatsarchives ſ. 240 und dem v. Sachſwig'schen Copialbuche.

XXXIV. Die Markgrafen Ludwig d. Aeltere und d. Römer präſentiren dem Stifte Solbin den Franciſcus, Scholaſticus zu Colberg, zu einer Majorpräbende, am 2. Mai 1350.

Ludovicus et Ludovicus etc. honorabilibus viris Ludolpho prepoſito, Th. decano et toti capitulo eccleſie collegiate Soldin gratiam etc. Multiplicia probitatis et ſerviciorum honorabilis viri Franciſci, Scholaſtici eccleſie collegiate Colbergenſis, merita nobis et noſtris per ipſum ſepius exhibita exigunt, quod ipſum ſpecialibus noſtris graciis et fauoribus amplectemur. Vnde vobis uniuersis et ſingulis ſerioſius precipimus et mandamus, quatenus eundem, dum facultas ſe obtulerit, ad gradum adipiſcendum quandam prebendam proxime vacaturam maiorem in eccleſia veſtra recipere non tardetis, ipſam eidem dum vacauerit cum plenitudine, ſicut moris eſt, in dicta eccleſia juſ canonice ſine contradiccione qualibet assignando. Quod ſi non feceritis, noſtram indignacionem grauiter noueritis incurſuros. Datum Arnſwold, Anno M^o CCC^o L^o, dominica poſt philippi.

Aus dem v. Sachſwig'schen Copialbuche.

XXXV. Markgraf Ludwig verkauft der Stadt Solbin das Dorf Werbelitz, am 12. Mai 1350.

Noverint etc. quod nos Ludovicus, prudentibus viris conſulibus civitatis noſtre Soldin, fidelibus noſtris et dilectis, preſentibus et futuris, damus preſentibus et donamus proprietatem ville Worbelitz, ſite prope civitatem ante dictam, ſic quod eadem villa cum omnibus juſibus ſuis, ob-

ventionibus et pertinentiis quibuscunque, prout nobis hactenus pertinebant, dicte civitati et consuli-
bus ejusdem debeat in antea iusto proprietatis titulo pacifice et quiete pertinere temporum curribus
sempiternis, Renunciantes etc. Pro qua quisdem appropriatione nobis XC marcas brandeburgenfes
per quitacionem nostrorum pignorum erogarunt pro presenti, de quibus ipsos quitos dicimus per
presentes. Datum Soldin, Anno M^o CCC^o L^o, feria quarta ante pentecoste.

Aus Diekmann's Urkunden-Sammlung der Breslauer Universitäts-Bibliothek.

XXXVI. Die Markgrafen Ludwig der Aeltere und Ludwig der Römer vereignen dem Stifte zu
Soldin zur Dotation eines Altars eine Insel bei Lippene, am 27. Juli 1350.

Nos Ludovicus et Ludovicus etc. Quod ob honorem et reverenciam omnipotentis
dei, gloriose genitricis sue virginis marie et omnium sanctorum in nostre, heredum et successorum
nostrorum animarum memoriam sempiternam, ad instantem requisicionem fidelis nostri dilecti proto-
notarii, domini Thiderici dicti Morner, decani in Szoldin, matura deliberacione cum nostris
consiliariis prehabitata et diligenti, donauimus libere, pure, mere et liberaliter propter deum, dona-
mus presentibus VIII frusta annuorum reddituum ad altare edificandum, fundandum et dedicandum
in honorem sancte crucis et precipue genitricis matris dei virginis marie in ecclesia collegiata bea-
torum petri et pauli apostolorum soldinensi, caminenfis diocesios, in quo perhennis debet haberi
memoria olim Diderici Prefsel, decani ibidem. Quequidem VIII frusta supradicta sita sunt in
insula, que jacet prope opidum Lippene, que pertinebat quondam ad vafallos nostros Conra-
dum, Henningum et Nicolaum, dictos de Schonenbeke, a quibus dictam insulam honora-
biles viri Ludolfus, prepositus, Thidericus Morner, decanus, ac totum capitulum predicte
ecclesie iusto empicionis titulo comparaverunt, et dicta insula continet in se VIII mansos cum lignis,
agris, pascuis, paludibus, aquis, distinctionibus et finibus ejusdem, cum pertinentiis ipsius universis
et singulis et omni jure, modo et forma, servicio, utilitate et precaria tam frugum quam denariorum,
sicut nos et predicti Schonenbeke et pater eorum habuimus et possedimus insulam predictam.
Unusquisque vero mansorum singulis annis dabit ad efficiendum altare predictum I dimidium chorum
siliginis, VIII modios ordei et sex modios avene. Cossati quoque dicte insule dabunt ad dictum
altare II sexagenas pullorum cum XII pullis impedimento quolibet procul moto. Debent liquidem
dicta frusta in ipsa insula cum pullis supra dictis, ut premittitur, quibus solempniter pro nobis et
nostris heredibus presentibus renunciamus, ad idem altare pacifice et quiete iusto perpetuitatis titulo
perpetuis temporibus pertinere. In cujus etc. Testes Schwartzburgh, Lochn, Haffo junior
de Wedel, Henricus de Vechtenhagen, Bombrecht, milites, G. Wulff, Johannes de
Wedel cum ceteris. Datum Frankenford, Anno MCCCL, feria tertia post Jacobi.

Aus Diekmann's Urkunden-Sammlung des k. Geh. Staatsarchives f. 150 und der Bresl. Universitäts-Bibliothek.